



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Communio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

docent esse simpliciter à Censura immunitatem ante absolutionem, cum negent, posse illum suscipere Sacramenta pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, antequam absolvatur.

C O M M U N I O.

89. **Q**UÆRITUR. An præcepto Ecclesiastico Communionis annuæ satisfiat per sacrilegam Eucharistiæ sumptionem?

Resp. Negativè, nam is, qui sacrilegè suscipit Eucharistiæ Sacramentum; non solum non satisfacit præcepto, sed potius peccat contra præceptum divinum, & contra Ecclesiasticum, atque adeò tenetur adhuc præcepto humano ad Communicandum dignè, oppositum est expressè damnatum *ab Innocent XI. propositione 55.*

90. QUÆRITUR. An frequens Confessio, Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, sit nota prædestinationis?

Resp. Prædictus Pontifex proscripsit *propositionem 59.* id asserentem; & meritò, quia ex triplici capite ipsa delirat; primò, quia supponit eum, qui gentiliter vivit, id est depravatis, & corruptis continuè moribus, se ritè disponere quotidie, vel frequenter ad Sacramenta recipienda; 2. quia cum moraliter certum sit, eum, qui gentiliter vivit, & depravatis moribus vitam continuat, si accedat ad Sacramenta, malè, & indignè se disponere ad ea suscipienda, consequenter sacrilegam esse in eo receptionem Sacramentalem, ea propositio indicat, talem receptionem, quantumvis sacrilegam, esse notam prædestinationis, quo quid absurdius excogitari potest? 3. Quia nullum est

verum signum prædestinationis, nisi associetur diuturna observantia mandatorum Dei.

91. Quæritur. An Sacerdos sacrificans ex necessitate cum peccato mortali teneatur *quam primum confiteri*, non solum ex consilio, sed etiam ex præcepto graviter obligante?

Resp. Affirmativè, nam opposita opinio damnatur ab *Alexand. VII. cum propositione 38.* Ratio est quia tam usus Ecclesiæ, quam Theologi omnes (uno vel altero excepto) censent *Tridentini præceptum sess. 13. cap. 3.* graviter obligare; præterquam quod universim lex censetur sub gravi obligare, ubi materia est gravis sive in se, sive ratione finis, ob quem lex imponitur, eo quod presumatur, quod legislator velit imponere obligationem consonam materiæ, nisi aliundè aliud colligatur, in casu nostro non censetur levis materia hujus legis, ne scilicet Sacerdos; qui frequenter celebrat, facile judicet necessitatem urgere ad celebrandum sine prævia confessione peccati, & assuescat differre Cōfessionem peccati non manifestati in Confessione prævia, quod fert gravem irreverentiam Sacramento Eucharistico, ad quod ex præcepto divino non sufficit solam contritionem sine Confessione præmittere, ergo lex ista Tridentini non est merum consilium, sed præceptum obligans sub mortali.

92. Quæritur. An ubi Tridentinum receptum non est, detur isthæc obligatio imposita Sacerdoti de confitendo *quam primum*, si necessitate urgente absque prævia Confessione cum sola contritione de mortali, celebraverit?

Resp.

Resp. Probabile esse, non dari, ratio est, quia communius docent DD. præceptum, de quo loquimur, esse juris Ecclesiastici, non verò juris naturalis, aut divini, cum neque jus naturæ obliget ad ponendam *quam primum* Confessionem, quæ erat antecederet ponenda, neque extet divini præcepti ad id obligantis vestigium ullum.

93. Quæritur. An vi hujus præcepti solum Sacerdotes, an verò etiam Laici, qui ex necessitate cum peccato mortali, prævia contritione, communicant, teneantur *quam primum* confiteri.

Resp. Negativè, ratio est, quia lex solum loquitur de Sacerdotibus, idcirco non est extendenda ac Laicos, tum quia in legibus positivis non tenet argumentum a pari, tum etiam quia dispar est ratio de utrisque, cum enim Sacerdotes frequenter celebrent, erat iis id specialiter injungendum, quippe iis majus periculum subest indignè communicandi, præterquam quòd facile est contingere, quòd in aliquo oppido Sacerdos non habeat alium Sacerdotem, à quo absolvatur. Laicus verò ferè semper habet Sacerdotem, à quo possit ante communionem absolvi, sed etsi per accidens careat copia Confessarii, & de facto non confiteatur ante communionem habens mortalia, non tenetur deindè statim confiteri, sicut obligatus in articulo mortis ad communicandum, si tunc impediatur; non tenetur deindè statim Communicare; sed neque ad id tenetur Sacerdos, si non celebret, sed instar Laicorum communicet.

94. Quæritur. An Sacerdos, qui præmi-
lit

fit jam Confessionem, & deinde recordatur alicujus mortalis, quin possit ad Confessarium redire, si necessitate urgente celebret teneatur *quamprimum* confiteri?

Resp. Affirmant plures DD. cum jam citra Confessionem illius peccati ex necessitate celebret; sed negant nonnulli, quia Tridentinum solum videtur loqui de eo, qui absque ulla prævía confessione celebret, non verò de eo, qui post Confessionem per accidens recordatur alicujus mortalis, immo forte nec de iis loquitur, qui absque Confessione, & absque Conscientia peccati mortalis ad celebrandum accedunt, & dum celebrant, mortalis recordantur, sicut etiam qui post Communionem recordantur peccati invincibiliter prius obligati non obligetur illud *quamprimum* confiteri.

95. Quæritur. An hoc præcepto confitendi *quamprimum* post Missam obligetur Sacerdos, qui culpabiliter celebrat absque Confessione, vel cum Confessione voluntariè nulla?

Resp. Probabile est, obligari, quia hic magis est reus, quam Sacerdos, qui mortaliter delinquit, sed necessitate urgente absque Confessione inculpabiliter celebravit; probabilius tamen est, non obligari, quia præceptum hoc est impositum Sacerdotibus, qui prætextu necessitatis celebrandi diù differunt Confessionem, non illis, qui ex malitia Confessionem omittunt, cum istos jam urgeat divinum præceptum confitendi; novum illud præceptum Ecclesiæ confitendi *quamprimum* reverà esset illis nova occasio peccandi, absque spe fructus, unde
non

non debuit illis imponi, esto sint sacrilegi.

96. Quæritur. An urgente necessitate celebrandi, Sacerdos, qui occulta excommunicatione, vel peccato reservato innodatus est, debeat confiteri ante celebrationem Confessario carenti facultate absolvendi à reservatis, cum onere se præsentandi superiori *quamprimum* poterit, sacrificio peracto?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia verè habet conscientiam peccati mortalis, ergo debet implere præceptum de præmittenda Confessione celebrationi, & confiteri peccata illi Sacerdoti, ut à reservatis indirectam absolutionem, & ab aliis directam obtineat, cum onere se præsentandi superiori *quamprimum*.

97. Quæritur? An qui cum mortali celebrat, non præmissa Confessione, dum Confessarii copiam habet, unum, aut duplex peccatum committat?

Resp. Duplex comittit, unum per indignam Eucharistiæ sumptionem: alterum per sacrilegam celebrationem.

98. Quæritur. Quando nam Sacerdos censeatur habere necessitatem sacrificandi absque prævia Confessione cum contritione de mortali ob carentiam Confessarii?

Resp. De illa DD. disputant; conveniunt tamen in hoc, quod sit sufficiens caput ita sacrificandi, & Laicis communicandi primò; si detur mortis periculum, nec detur copia Confessarii. 2. si Eucharistiæ susceptio, vel sacrificium omitti non possit citra gravem infamiam propriam, vel citra aliorum scandalum; imò plures DD. affirmant, quod etiam secluso scanda-

o, & infamia Sacerdos, qui Missam inchoavit, vel Laicus, qui ad linteum communionis accessit, non teneantur ad Confessionem, si tunc mortalis recordentur, vel tunc peccent, sed possint præmissa contritione communicare, idque ad vitandam irreverentiam, quæ haberetur in relinquendo, locum illum, & actionem jam moraliter inchoatam. 3. Potest Sacerdos sic celebrare ad dandum Viaticum moribundo. 4. Probabiliter potest sic Sacerdos celebrare, si non possit aliter, aut ipse, aut alii satisfacere præcepto de sacro audiendo. 5. Parochus, si non adsit alius Sacerdos, qui celebret diebus festis, & ex non celebrando oriretur grave scandalum, infamia &c.

99. Quæritur. Quando nam ex necessitate celebranti censeatur deesse copia Confessarii?

Resp. Cum nullus est præsens Sacerdos approbatus cum jurisdictione, item cum est præsens, sed non vult eum absolvere, item cum est adeo distans, ut ad eum non possit accedere nisi cum magna difficultate, & incommodo salutis, honoris, & famæ, in quo consideranda est qualitas, & circumstantia itineris, personæ, & temporis, super quo nullus in iudicio sit laxus.

100. Quæritur. Quomodo intelligendum sit illud *quæprimum* à Tridentino præceptum?

Resp. Non est intelligendum eo sensu: quo plures DD. illud interpretati sunt, scilicet cum Sacerdos suo tempore confitebitur, nam hoc est expressè damnatum ab *Alex. VII. cum propositione 39.* Sed intelligendum est sic, ut valdè citò Sacerdos, finita Missa, si opportune, & sine notabili in-

com-

commodo possit, quærat Confessarium, & confiteatur, hoc est, *quamprimum confiteri*; perpende etiam circumstantias interrogationis præcedentis.

101. Quæritur. An Sacerdos, qui statim finita Missa præsentaneum habet Confessarium, quam postea intra biduum, vel triduum non est amplius habiturus, teneatur illico confiteri, nulla interposita mora?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia universim, qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, prævenire debet, si non possit deinde præceptum implere, sic qui die festo diluculo tantum potest audire sacrum, nullam deinde habens opportunitatem, tenetur anticipare, & summo mane illud audire, sic etiam, qui in principio diei timet febrim, puta quartanam superventuram, aut aliud impedimentum, tenetur officium illis diei prævenire, & manè vespere, ac completorium recitare, ergo etiam in casu nostro tenetur Sacerdos prævenire.

102. Quæritur. An sint iudicandi sacrilegi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint?

Resp. Alexander VII. damnavit *propositionem 22.* id asserentem, & merito, quia qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, nondum peracta pœnitentia, non possunt dici sacrilegi per hoc, quod cum sint ritè dispositi ad absolutionem Sacramentalem obtinendam, illam prætendant, ut ea præmissa possint communicare, ac cibo Eucharistico nutriri, & confortari, nam quamvis possit aliquando Confessarius differre ab-

folutione pœnitenti; ut ejus constantiam experiatur, & aliquando etiam imponere dilationem susceptionis Eucharistiæ, falsum tamen est, quod aut teneatur, aut possit semper absolutionem differre, & abstinentiam à cibo Eucharistico incidere, donec pœnitentia peragatur, idque tanquam error refertur à Sixto IV. in Bulla contra Petrum de Osma; nam satisfactio non est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, & alienum est à verbo Dei, ac Patrum sensu, culpam non remitti, quin pœna omnis semper per Sacramentum pœnitentiæ condonetur; legas *Trident. sess. 14. de Pœnit. Can. 12.*

103. Neque possunt dici sacrilegi ob ullam indecentiam graviter culpabilem, quod est pariter sensus omnium Theologorum, ut constat ex *Trident. sess. 13. c. 7.* Quare ille tantum dicendus est sacrilegus, qui cum mortali accedit, & consequenter, qui propositum habet non adimplendi pœnitentiam gravem sibi à Confessario impostam, non verò qui nondum illam implevit; præsertim quia sæpe non potest illa statim impleri, & necessitas Communionis urget, ratio est, quia nulla apparet in hoc indecentia, quod ad fontem misericordiæ accedat reus alicujus pœnæ, aliter fere nunquam possemus ad Eucharistiam accedere, cum ferè nunquam possit nobis innotescere, quod condignam de peccatis pœnitentiam egerimus, quamvis pœnitentiam Sacramentalem executi simus.

104. Potest tamen aliquis aliquando sacrilegè ad Eucharistiam accedere, etiamsi nullius culpæ mortalis antecedenter sibi sit conscius, ut si cum irreverentia, tempore,
vel

vel distractione involvente contemptum tanti Sacramenti accedat, aut non jejunus, aut cum excommunicatione minore, aut cum sola contritione, extra casum necessitatis, non præmissa Confessione mortalis commissi; ratio est, quia ex lege naturali, aut positiva graviter prohibetur hujusmodi accessus; nulla autem lex universim obligat, ne quis ad Eucharistiam accedat non peracta penitentia condigna.

105. Quæritur. An arcendi sint à sacra Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers?

Resp. Negativè, nam *Trident. sess. 13. cap. 7. explicans illud Pauli 1. ad Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, nullam aliam dispositionem exigit, quàm quòd probet se homo, & inveniat peccati mortalis immunem, & si illud reperit, doleat, & confiteatur; quæ doctrina esset certe mutila, si requireretur etiam amor Dei purissimus, aut alia dispositio jure naturæ non requisita, idcirco opinio affirmans, arcendos esse à Communionem eos, quibus hujusmodi amor deest, manet expressè damnata ab *Alexand. VIII. cum propositione 23.**

106. Quæritur. An requiratur actualis devotio ad fructum ex sacra Communionem percipiendum?

Resp. Negativè, quia licèt mentis evagatio, & modica præparatio impediatur dulcedinem spiritualem propriam hujus Sacramenti, non impedit tamen præcipuum fructum, nempe gratiæ augmentum, nisi iudevotio sit formalis, adeo ut ferat tantum Sacramenti contemptum, & irreverentiam pertinentem ad mortale.

107. Quæritur. An Laicis, præsertim conjugatis, possit permitti quotidiana, vel nimis frequens communio?

Resp. Universim non est permittenda, quamvis possit dari casus, in quo ob specialem pietatem possit permitti, ideò *Innoc. XI. in decreto de Communione quotidiana edito 12. Febr. 1678.* Noluit universim Communionem quotidianam prohiberi, nec sumendi illam dies generaliter constitui, sed juxta Patris spiritualis consilium posse quemlibet crebrius, aut rarius pro devotionis, & præparationis modo Domini corporis suavitatem degustare; idcirco Christus Dominus noluit hunc cibum haberi, nisi per manus Sacerdotis, ut videlicet sciret Sacerdos quibus, & quando dari expediret, inspiciendo non solum reverentiam tanto Sacramento debitam, sed etiam profectum suscipientis; sæpe enim contingit, ut magis proficiat Communio rarior, quam frequentior, ut docet *D. Bonav. in 4. dist. 12. dicens, majorem effectum recipit homo in una Missa, vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, si non se præparet diligenter;* nimia enim frequentia paulatim in pluribus diligentiam adimit præparationis, atque adeo fructus ubertatem, qui pro mensura dispositioni confertur juxta doctrinam *Trident. sess. 6. cap. 7.*

108. Dices: Potest Laicis, etiam conjugatis non indevotis universim permitti Communio quotidiana, posito quod omnibus Sacerdotibus, etiam indevotis permittatur?

Resp. Primò *D. Bonav. lib. 2. de profectu Religiosorum cap. 77.* Consilium dat Sacerdotibus

tibus

tibus non ritè se præparantibus, tu abstineant aliquando, ad hoc ut reverentius accedant, deinde status Sacerdotalis de se fert majorem dispositionem ob elongationem à curis sæcularibus; tertio defectus dispositionis in his compensatur per obligationem, quam habent ex proprio munere offerendi sacrificium, cum sint nuncii, ac ministri publici ab Ecclesiæ deputati ad Deum placandum, unde Ecclesiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit, eos Deo magis acceptos; nisi, ut dictum est, indevotio sit formalis, aded ut ferat tanti Sacramenti contemptum, & irreverentiam, pertinentem ad mortale, vel circumstantibus scandalum præbeat, celebrando, ut passim fit, cum magna celeritate, & notabili dedecore tanti mysterii, vel cum notabili omissione verborum, aut confusione sacrorum Rituum; ex quo colligitur, quod innumerabiles Sacerdotes, qui Missam præcipitant, in infernum præcipitant, quia indigna tractatio hujus tremendi sacrificii nimis provocat Omnipotentis iram, præsertim quia qui indignè sumunt S. Eucharistiam judicium sibi manducant, & bibunt *ex Apost. ad Corinth. 11.*

CONFESSARIUS.

109. **Q**Uæritur? An qui beneficium Curatum habent, possint sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem ab Ordinario non approbatum?

Resp. Negativè, ut patet ex decreto *Alexandri VII. damnantis propositionem 16.* Ratio est, quia *Tridentin. sess. 23. cap. 15.* Decrevit, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum